



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Pelagia Poenitens. 8. Octobris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

vocavit, vovitque ne moreretur, in Religioso cœtu se victurū. Convaluit: sed soteria solvere oblitus vindicem morbum secundum sensit, nec prius manum iterum OSITHÆ medicam, quam objurgatus ab hac fidem liberaturum se spopondit. Itaque bis voti damnatus templo & cœnobio anathema, se, dedit. Ex Surio.

Vide ne promissum tuum irritum facias, neque fidei tua vota disrumpas. Habebis profecto accusatores prævaricationis tise; habebis veridicos testes testificantes aduersum te; habebis judicem, qui nullius personam accipit in sua executione sententia. S.Laur. Juſt. de Cont. mundi c.19.

S. PELAGIA POENITENS.

8.Octobris.

VIxit PELAGIA Antiochiæ sub Theodosii Minoris tempora, ob formæ venustatem corporisque cultum non jam Veneris serva, sed ipsa Venus habita, pudor urbis, & castitatis ipsissima pernicies. Quis credat? quæ oculis captivam post se urbem trahebat, in hanc obtutum defixisse D. Nonno Antistiti etiam profuit. Quid enim? (exclamabat post visum hoc elegantiæ idolum ille) quo demum studio, quo sine temporis dispensio, sine impendio sumptuum, hæc faciem comit pingitque? & hoc cur? quò nempe oculis amantium arrideat, cælo lacrimante. Animæ interim meæ, quam, ausim dicere, Deus deperit, quis splendor? nempe ad hanc infamiam collata, Æthiopissa es anima. Ite & sordes meas, cheu! lacrimæ lavate. Hæc Nonnus. At PELAGIA, spectante & mirante urbe, ad pedes ejus descendit, & vita licentiam sancto fletu gemituque teste

494 VITÆ S A N C T O R V M . 9.Octob.
ejurat. Mox jejuniis & vigiliis corpus defluere,
vultum non jam gratiæ , sed pallor , squalor, ma-
ciesque insidere , nihil jam in totâ fronte rubere,
præter præteriorum memoriam. Nempe obstre-
pere hic Veneris puer , desertum se fide non bonâ
queri , formam se , opes , amores dedisse : ipsam
probra, contemptum , odiumq; ingratam repen-
dere. Sed virum scilicet invenit. Nam sparsò om-
ni in egenos auro, laqueos amantium, capillos re-
scidit , feminam cum veste exuit, Pelagium se di-
xit , vitæque reliquum Hierosolymis inter sum-
mas vitæ asperitates egit , in illo monte , qui ab
olivetis nomen habet, ab ipso Christo dudum
edocta, ad cælum illinc ascendit. Ex Surio.

*Quidquid animo ex præsenti sæculo arridet, ex con-
sideratione eterni ignis amarescat ; quidquid in mente
pueriliter hilarescit, discipline censura coercent, ut, dum
sponte temporalia fugimus, aeterna gaudia sine labore
capiamus. S.Greg.*

S. DIONYSIUS AREOPAGITA.
9.Octobris.

IS est DIONYSIUS, cui nomen Areopagus fecit,
vir inter Athenienses eximiè doctus , & sive-
rum contemplationi addictus. Quare eo tempo-
re , quo omnis natura morientem Christum luge-
bat, exclamasse fertur, aut Deum laborare, aut mun-
dum ruinam meditari. A Paulo deinde CHRISTO
additus , præesse novitio Christianorum gregi
Athenis jussus est. Ajunt cum Apostolis abeundi
in cælos VIRGINI adfuisse. Certè eam vidisse,
aspectuq; tam augusto attonitus , ingenuè scribi-
tur affirmasse , pro Deo hanc habiturum se fuisse,
nisi fides Dei matrem esse suggestisset. Paulo etiam
com-